

Ad 3. Antequam de Salariorum auctione Benignam Nostram imperiamur Resolutionem, cum ignoretur quis et qualis hactenus illorum Status fuerit? fidelitates Vestrae tam suam super eo informationem, quantum quis titulo hoc habuerit? et qui fundus horum exolutioni subserviebat? quam et opinionem, quid videlicet et quantum auctionis nomine, quove ex fundo cuivis adjiciendum adhuc censeant? Nobis humillime submittent.

Ad 4. Demissum fidelitatum Vestrarum postulatam illud, ut quamquam repetiti Comitatus modo praevis regulandi sint, ii nihilominus Jurisdictioni dispositionique Regni et Bani porro quoque subsint, et conveniens et bene regulatae reipublicae, in qua debitam subordinationem praeprimis vigere oportet, conforme esse agnoscimus, et ideo benigne ordinamus: ut publica et Politica, intrinsecum totius Regni Statum tangentia negotia posthac etiam ad Banum et Regnum invinentur, inque Congregationibus Regni pertractentur; ad has vero modo hucusque observato Officiales Comitatum comparere, et determinationibus Regnicolaribus, pro Summo Servitio Nostro bonoque publico editis, se omnimode accomodare easque exequi teneantur. Benigna Rescripta Nostra Regia (veluti quoad Comitatus Inferioris Sclavoniae jam observatur) medio Comitatus Bani ad eosdem dirigantur, et ii vicissim repraesentationes et pro re nata Informationes suas ad Majestatem Nostram ejusdem medio submittant. Sine hujus porro et Regni praescitu Arma et Gentes levare non audeant, ac denique cujuslibet Congregationis suae Prothocollum sub lecta Notarii repetito Comiti Bano sine etiam eo, ut notitia actorum praeditus in directione Communis et publicae rei recte procedere possit, cum sine cujusvis Congregationis transmittant.

Quibus omnibus modo praemisso per Nos clementer resolutis, tam ex eorum reflexione, quam et intuitu Juridicorum in Civilibus et Criminalibus aliorumque ad activitatem et Sphaeram Comitatum pertinentium negotiorum totius regulationis Systema in hac, quae adjacet forma benigne constituimus.

Hanc igitur benignam resolutionem ordinationemque Nostram fidelitatibus vestris hisce benigne significantes, plene confidimus, easdem ex hinc etiam agnaturas, quanto studio in Commune hujus etiam perchari Regni Nostri Bonum, Justitiaeque exactam administrationem, et ita salutem omnium feramur, atque maternam isthanc sollicitudinem Benignitatemque Nostram devotis animis suscepturos esse; ac ideo fidelitatibus vestris clementer committimus et mandamus, quatenus praedecaratam benignam resolutionem Nostram tam sua ex parte exacte observare, quam et per alios, quorum interest, observari facere, ac omnia, quae ad ejus executionem oportuna et necessaria sunt, disponere noverint nec intermittant eadem fidelitates Vestrae. Quibus in reliquo Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia benigne Jugiterque propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate nostra Vienna Austriae die 20. Martii, Anno Domini 1759.

Maria Theresia m. p.

Comes Nicolaus Palffy m. p.

Josephus Jablanczy m. p.

*Intitulationis tenor talis est:*

Reverendis, honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item